

Sermo

eum non pereat: sed habeat vitam eternam. Non enim misit deus filium suum in mundum ut iudicet mundum: sed ut mundus saluetur per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur. qui autem non credit: iam iudicatus est. quia non credit in nomine unigeniti filii dei. hoc autem est iudicium. quia venit lux in mundum. et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem. et non venit ad lucem. ut non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem: venit ad lucem: ut manifestentur opera eius. quae in deo facta sunt.

Eodem die.

Sermo. lxxvi. de evangelio.

Hic deus dilexit mundum: ut filium suum unigenitum daret. ut omnis qui credit in illum non pereat: sed habeat vitam eternam. In extremo evangelio lectum est de caritate adoptionis: qua deus pater dando spiritum. sanctum adoptavit servos in filios. In hodierno vero agitur de caritate redemptionis: qua dando filium suum de manu hostili redemit servos. Et notantur hic duo. scilicet causa efficiens. et causa finalis nostre redemptionis. Causa efficiens est dilectio dei patris que commendatur a tribus.

Primo a maiestate diligentis.

Secundo ab indignitate ipsius que dilexit.

Tercio a quantitate dilectionis.

Diligens est deus summe potens. et ideo nullius eget consilio. summe bo-

Septuagesimasextus

nus: et ideo nullius eget beneficio. Unde actu. xvij. **D**eus non indiget aliquo: cum ipse det omnibus vitam et inspirationem. **Isa. xl.** Quis adiuvit spiritum domini: aut quis consiliaris eius fuit. **psal.** Dixi domine deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. **Job. xxij.** Quid prodest homini si iustus fueris. aut quid eis conferes si immaculata fuerit vita tua. **Idem. xxij.** Si peccaverint: quid eis nocebis. et multiplicata fuerit iniquitates eius: quid facies contra eum? homo qui tibi similis est nocebit iniquitas tua. **D**ilexit autem mundum id est homines vilissimos peccatores et inimicos **psalmista.** Quid est homo quod memor es eius? **Roma. v.** Commendat deus caritatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus pro nobis pro nobis mortuus est. **Q**uantitas amoris notatur cum dicitur. **Sic. i.** tantum dilexit: ut filium suum daret. ubi dicit **crisostomus.** **U**naqueque dilectio multam habet ostensionem: dicente. **Ita** dilexit mundum multam indicat amoris intentionem. Dulcius enim erat medium et infinitum inter deum et mundum. qui immortalis. qui sine principio. qui magnitudo infinita erat: eos qui de terra et eos qui de cinere. eos qui pleni erant peccatis. eos qui indevoti erant dilexit. et ita filium suum daret: non servum. non angelum. **Q**uis circa filium tantum studium demonstravit: quantum deus circa servum. ipse enim neque unigenito pepercit propter nos. nos autem pecuniis parcamus aduersus nos. ipse dedit filium suum pro nobis. nos neque argenti neque aurum